



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCXXXIX. Der Bischof Dietrich von Sarepta erhält auf Lebenszeit den wüsten Hof Mukede unter der Bedingung vom Domcapitel, daß er ihn wieder aufbauet, am 15. Juni 1347.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

dictorum attentatum fuerit, et si infra mensem ex parte prepositi et ecclesie predictorum requisitus non satisfecerit cum effectu, extunc absque nostra et heredum et successorum nostrorum contradictione et indignatione eundem ad satisfaciendum sibi valebunt per censuram ecclesiasticam coartare. In cuius rei testimonium etc. Testes hujus rei sunt nobiles viri Johannes, Burggravius de Nurnberch, Ulrichus comes de Lindow, nec non strenui viri Johannes Hufner, curie nostre magister, ac Marquardus de Loterpeg, advocatus noster in Spandow. Datum Spandow, anno domini M. CCC. XLVI. die beate Cecilie virginis.

Nach einer Copie im ältern Copialbuche.

**CCXXXIX.** Der Bischof Dietrich von Sarepta erhält auf Lebenszeit den wüsten Hof Mukede unter der Bedingung vom Domcapitel, daß er ihn wieder aufbauet, am 15. Juni 1347.

Nos frater Thidericus, miseratione divina episcopus ecclesie Sareptensis, presentibus recognoscimus, quod honorabiles viri, domini Thidericus prepositus, Johannes prior et capitulum ecclesie Brandenburgensis curiam Mukede, ad se nomine ecclesie sue cum omni jure pertinentem, in presenti tamen tam in edificiis quam agrorum cultura desertam, nobis ad vitam nostram cum omnibus fructibus, utilitatibus et pertinentiis suis, quibus eam nomine ecclesie sue hactenus habuerunt, possidendam donaverunt, ita quod ipsam reedificare, agros ad culturam reducere in omnibus, quibus poterimus meliorare ac ipsam in obitu nostro cum omni melioratione et quibuscunque bonis et rebus mobilibus et sese moventibus, que tunc ibidem, deo dante, fuerint, libere relinquere pro remedio animarum nostre et progenitorum nostrorum debeamus, quorumlibet consanguineorum, affinium aut heredum nostrorum impetitione, quam successione, donatione testamenti vel legati assignatione aut quolibet alia causa vendicare poterunt, non obstante. Sane domini prepositus, prior et capitulum supradicti sibi obtinuerunt potestatem ibidem edificandi fornacem et horreum et glebam fodendi et ligna combustibilia cedendi pro lateribus ad usum ecclesie sue faciendis et similiter cedendi ligna valentia ad construendum dictum horreum et alia edificia ecclesie sue edificanda et etiam restauranda, nec non gramina viginti jugerum in suos usus convertendi. Nos igitur ipsis presentibus firmiter promittimus, quod eis et suis successoribus omnia et singula suprascripta volumus fideliter adimplere et inviolabiliter observare. In quorum omnium testimonium nostrum sigillum una cum sigillo venerabilis in Christo patris et domini nostri, domini Ludovici episcopi dicte Brandenburgensis ecclesie et nove civitatis Brandenburg presentibus est appensum.

Et nos, Ludovicus, dei gratia episcopus ecclesie Brandenburgensis, ad preces dicti venerabilis patris domini Thiderici episcopi ecclesie Sareptensis omnia et singula suprascripta laudamus, approbamus eaque in dei nomine auctoritate ordinaria confirmamus et appensione nostri sigilli roboramus.

Et nos Petrus Tuchem et Henningus Roschow proconsules alique universi consules dicte nove civitatis Brandenburgensis sigillum ejusdem civitatis ad preces dicti domini Thiderici episcopi ecclesie Sareptensis duximus presentibus appendendum. Actum et datum Brandenburg in die beatorum Viti et ejus sociorum anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. septimo.

Nach einer Copie im ältern Copialbuche.